

plexicaulibus, involucri phyllis inferioribus non subæquilongis calyculique formantibus sed in interiora sensim elongatis.

SCORZONERA LIBANOTICA Boiss. (Sect. *Euscorzonerà*.)

Sc. tota indumento floccoso adpresso sordido demùm deterrenti lanata, collo valdè squamoso, foliis inferioribus amplis oblongis vel oblongo-lanceolatis acutis minutè crispulo-denticulatis in petiolum brevem attenuatis, caulinis superioribus e basi amplexicauli oblongo-lanceolatis acuminatis infernè utrinquè 2-3 argutè denticulatis, caulibus elatis foliosis teretibus supernè ramosis 2-3 cephalis, capitulis magnis longè pedunculatis, involucri oblongi supernè subangustati phyllis glabris glaucescentibus latis ab infimis ovato-triangularibus ad intima lanceolata obtusissima sensim auctis, ligulis involucri sesquilongioribus flavis basi atropurpureis, acheniis...

Hab. in cultis derelictis Libani superioris in viâ inter *Damascum* et *Beyrout*. Legi flor. Maii fine.

Folia radicalia cum petiolo basi latè dilatato 6-9 poll. longa 4-4 1/2 poll. lata, caules 4-4 1/2 pedales, capitula vix minora eis *Sc. Hispanicæ* cui et *Sc. crispatulæ* affinis est et a quibus distinguitur foliorum formâ, phyllis regulariter imbricatis et ab infimis ad suprema sensim auctis, ligulis basi atropurpureis etc.

SCORZONERA RADICOSA Boiss. in Kotsch. pl. Pers. bor. 1846. (Sect. *Gelasia?*)

Sc. rhizomate crasso densissimè cæspitoso, foliis omnibus radicalibus confertissimis brevissimè puberulis canescentibus angustissimè linearibus flexuosis pleribusque integerrimis paucis pinnatilobatis lobis linearibus brevissimis, scapis gracilibus folia æquantibus vel eis duplè longioribus, capitulis parvis, involucri obconici phyllis tenuiter puberulis triangulari-lanceolatis ab inferioribus ad superiores elongatis angustè membranaceis acutiusculis, ligulis subtus rubellis, pappi (junioris) setis apice glabellis.

Hab. in glareosis alpium *Hasartschal* in parte occidentali montis *Elbrus* alt. 40000' (Kotschy).

Folia 4-4 1/2 poll. longa canaliculata lineam aut vix ampliùs lata, capitula illis *Sc. pygmææ* ferè minora. Species tantùm florifera nota, a *Podospermo cano* cui foliis nonnullis pinnatilobis accedit distincta

rhizomate crassè cæspitoso foliis capitulisque multò minoribus. Pappo immaturo quidem sed qui supernè scaber videtur inter *Gelasias* propè *Sc. pygmeam* et *rigidam* diversissimas militare videtur. Forsan *Podospermi* spec. sed hoc genus minimè naturale est et in posterum rursùs *Scorzoneræ* conjungendum.

SCORZONERA MACKMELIANA Boiss. (Sect. *Gelasia*.)

Sc. rhizomate lignoso cæspitosè compacto, foliis adpressissimè tomentosis canis brevibus linearibus obtusis rigidulis subcanaliculatis margineque subundulatis glabris, scapis foliis paulò longioribus monocephalis, capitulis parvis, involucri tomentelli cænescentis phyllis paucis erecto-patulis ab infimis triangularibus ad interiora lanceolata elongata omnibus acuminatis, floribus paucis, ligulis subtùs rubris involucri paulò superantibus, acheniis...

Hab. in editissimis jugis *Mackmel* Libani. (Boiss.)

Folia 9-12 lin. longa 1 1/2-2 lin. lata. Scapi 6-18 lin. longi, capitula illis *Sc. pygmeæ* minora minùsque floribunda; huic affinis sed sat differre videtur indumento adpressè tomentoso nec hirtulo, foliis abbreviatis rigidioribus, involucri phyllis paucioribus acutioribus. *Sc. rigida* affinis quoque a nostrâ differt collo valdè squamoso, foliis erectis nec expansis angustioribus multò longioribus supernèque attenuatis margine non undulatis. Forsan *Sc. tomentosa* ⁊ *linearis* DC. Prod. a *Sc. tomentosæ* L. descriptione diversissima ad *Sc. Mackmelianam* spectat.

SCORZONERA CINEREA Boiss. in Kotsch. pl. Pers. bor. 1846. (Sect. *Gelasia*.)

S. tota tomento tenuissimo densissimo cinerea, caulibus elatis teretibus striatis foliosis supernè remotiusculè ramosis ramis strictis monocephalis angustè et elongatim racemosis, foliis integerrimis parallelè 5-6 nerviis inferioribus linearibus vel oblongo-lanceolatis superioribus a basi rotundatâ acuminatis summis angustè linearibus, involucri squamis adpressè erecto-patulis sericeis omnibus subæquilongis angustè lineari-lanceolatis acuminatis; ligulis còncoloribus involucri paulò longioribus, acheniis junioribus glabris, pappi setis basi tantùm plumosis.

Hab. in declivibus graminosis ad radices montis *Demawend* propè pagum *Ask* Kotschy N° 374.